

ecclesia³¹, quia utraque^k primogenita^l perdidit – Ruben, quia thorum
 180 patris fedavit³², ista, quia fedo^m verbi semine iudaizare nitebatur fideles³³,
 qui credebantⁿ ex^o gentibus. Gad secunda^p post Ruben hereditatem accepit;
 secunda post Ierosolimitanam Antiochena est fundata ecclesia^q. Manasses
 primogenitus Ioseph fuit^r, sed prelatus est ei frater^s suus iunior^s
 185 Effraim³⁴; Alexandrina ecclesia prescribatur primo, sed nunc Constanti-
 nopolitana, que iunior erat illa^t, prescribitur. Tribus Iuda, tribus regalis, in
 qua fundatum noscitur templum, Romanam respicere comprobatur eccle-
 siam, cui regale prestitit deus^u sacerdotium³⁵. Hec enim civitas solis, hec
 ecclesia^v propria^w Christi. Septem vero tribus septem respiciunt Iohannis^x
 190 ecclesias³⁶, ut uni veritati utrumque fidem faciat testamentum. Hoc enim
 significant quinque principales ecclesie, quod principales tribus quinque;
 hoc^y septem tribus relique, quod ecclesie septem in Asia ab apostolis insti-
 tute^z. Sive^a etenim^b in quinque tribubus, sive in ecclesiis quinque, quinque^c
 designantur etates seculi ab Adam^d usque ad Christum et usque ad extre-
 ma^e apostolorum tempora^f, quando finem in populo^g circumcisio accepit,
 195 propter illud, quod scriptum est: *Comedetis vetustissima veterum, et novis
 supervenientibus vetera proicientis*³⁷. Non enim mox inchoatis novis subi-
 to^h subtracta sunt veteraⁱ, sed tamdiu expectatum est, quousque nova plan-
 tatio^k convalesceret^l. Sane in septem tribubus et in septem ecclesiis septem
 200 novissimorum temporum designantur progenies, que sibi seriatim succe-
 dunt et a primo Christi adventu usque in finem per successionem^m per-
 transeunt, in quibus apocalipsis liber, prout superiusⁿ diximus³⁸, expedi-

i) fehlt B. k) utique AC. l) fehlt B. m) E: eine Korrektorhand wohl späteren Datums pungiert fedo, ersetzt es am Rande durch spreto und fügt dementsprechend nach nitebatur hinzu: persequens. n) crediderunt D; crediderant E; excedebant B. o) de B. p) secundam AC. q) fehlt B. r) fehlt AC. s-s) iunior frater suus BC. t) illi D. u) decus AC. v) folgt prima AC. w) proxima DE. x) fehlt D. y) folgt vero D. z) constitute E. a) sane E. b) enim D. c) fehlt E. d) folgt scilicet AD. e) fehlt B. f) fehlt E. g) folgt Iudeorum E. h) subita D. i) fehlt B. k) fehlt D. l) convalescerent D. m) successiones C. n) supra B.

³¹⁾ vgl. *Enchiridion* Z. 2185 ff. (f. 65^v/66^r).

³²⁾ vgl. 1. Paral. 5,1; Gen. 49,4; 35,22.

³³⁾ vgl. Act. 15,1.5.

³⁴⁾ vgl. Gen. 48,14.19.

³⁵⁾ vgl. 1. Petr. 2,9.

³⁶⁾ vgl. Apoc. 2-3.

³⁷⁾ Lev. 26,10.

³⁸⁾ vgl. Z. 61 und 119.